

N. J. 10



conditionis optimorum ingeniorum mater alma Fridericiana. Ad
 ista etiam sapientis magistri Amalthei regiae hujus civitatis
 natus sapienter ut ornatis suis consilio proficere et ex voto cedant
 flores perpetuos felicitate speciosissima Scholasticarum collegium
 quibus salus nostra tamquam parentibus nostris curae semper cordis
 que est Adde Venendis ecclesiae ministris in eorum opera se
 gnam illi sui quodlibet magis ampliatum. Huius Collegii meos
 amantissimos ut factum de professoribus laboribus necessitas impensis
 ducunt: Sic Felix et bonis omnibus adhaerere dicitur: Sic Dynamis
 sum nostrum perpetuos virtutis litterarum et omnis felicitatis
 facta quaedam sedes ac officina

D I X I



SINGVLARIS
DEI CIRCA SCHOLAS
PROVIDENTIA

EX VETERVM GENIO NATALI

ASSERITVR

ET

NATALIS DIES
GYMNASII HALENSIS

C LXXXVIII.

A. D. XXVIII AVGVSTI **cb**cccliv

CELEBRANDVS

INDICITVR


A

IOANNE PETRO MILLERO A. M.,

GYMNASII RECTORE.



K.



HALAE MAGDEBVRGICAE
FORMIS EXSCRIPSIT IOANN. IVSTINVS GEBAYER.

SINGULARIS
DEI CIRCA SCHOLAS
PROVIDENTIA
EX VETBRVM GENIO NATALI
ASSERTIVAE
ET
NATALIS DIES
GYMNASII HALENSIS

CLXXXVIII
A. D. XXVII AVGVSTI QVINCIDV
CELEBRANDVS
INDICIVAE
IOVANNI PETRO MILLERO A. M.
GYMNASII RECTORI



FORMIS EXSCRIPIT IOVANN. IUSTINIUS GERHARDT
HALAE MAGDEBVRGICAE





Magnam alebat olim exercitum cum in ipsa urbe, tum in vastissimi imperii provinciis terrarum orbis domina, Roma; at fortasse illa non minorem confictorum a poetis deorum numerum habuisse, tantamque praefidiariorum quasi numinum copiam maximis stipendiis nutritivisse est dicenda. Quidquid enim magnam utilitatem generi adferret humano et esset a Deo natum, id nomine ipsius Dei nuncupabant, ut fruges Cererem. Deinde, in qua vis inesset major, sic appellabatur, ut ea ipsa vis nominaretur deus, ut Fides, ut Mens. Post etiam suscepit vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in caelum fama ac voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Aesculapius et clari factis meritisque heroes fere omnes. Alia denique ex ratione, et quidem physica, magna fluxit multitudo deorum, qui induti specie humana fabulas poetis supeditaverunt, hominum autem vitam, superstitione omni refererunt, ut ait CICERO, ex quo hos deorum natales descripsimus *). Difficile igitur est, tantum deorum exercitum in suas cohortes et ordines ita tribuere, ut, quae unius eorum cujusque sit aut natura et dignitas, aut muneris, cui praeficeretur, ratio, perspicue pateat. Adsciverunt enim Romani earum gentium, quas bello devicerant, numina in suorum deorum numerum, quasi vero non satis jam esset in urbe superstitionis, ut aliunde augeri illa debuisset. Sed quoniam universum hunc fictorum numinum exercitum hinc strare nimis longum esset, age, illum, cui quartus inter selectos deos locus est datus, Genium considerabimus. Neque enim arbitror, alienum a hujus diei, qui est Gymnasii nostri natalis, sollemnitate quemquam esse existimaturum, si de Genio natali, quae memoratu digna videbuntur, ex veterum

*) L. II de Nat. deorum c. XXIII.

locis in medium proferam, et, quae a multis sparsim sunt dicta, haec studiose collecta curateque inter se collata, in una hac quasi tabula, lectoris proponam.

Primo autem loco nobis monendum est, latissime hanc Genii vocem patere omnesque in veterum monumentis inferiores illas naturas illam notare, quae quasi mediae sunt inter deorum numen et genus mortale interjectae, quaeque *intelligentiae* generatim Latinis, et *Δαιμόνες* Graecis, alias appellantur. Quod tamen non opus est, ut locis ipsorum eam probatum, quum in manibus est singularis hac de re et erudita FROBESII V. C. disputatio ²⁾. Nobis igitur hic de iis est sermo GENIIS, qui *hominibus a Deo quasi quidam curatores atque custodes dati* esse a veteribus putabantur, quorumque officium ipsa jam notat appellationis nominisque origo, si recte rem vidit, quem reliqui sequuntur, CENSORINVS ³⁾. Is enim, quod AVGVSTINVS jam fecit, a *gignendo* dictum esse Genium existit mat, ejusque nominis triplex fere affertur ratio. Prima est, quod ut gignatur homo, Genius curet. Altera, quod una is gignatur nobiscum. Tertia denique, quod nos genitos suscipiat ac tueatur. Sed relinquamus has dapes iis, quibus vacat, vocularum veterum arcanas rationes scrutari, nobis de re potius ipsa videndum est.

Veteres igitur, quum viderent, miras existere magnasque in vita hominum vicissitudines easque conversiones, quae non semper humanis consiliis efficerentur: tantam vero vicissim nonnullorum hominum bonitatem et etiam felicitatem esse, ut vires omnes humanas conditionemque superet: faciendum sibi putarunt, ut deos iis quasi comites quosdam darent, qui consilia eorum et fata nutu suo et potentia gubernarent. Atque id genus intelligentiarum, quod diximus, *Genios* appellabant. Dubitant vero multi, an etiam malorum suafores et effectores genios suos fecerint veteres. Sed hos facile est rationibus cogere, ut malos etiam genios hominibus dedisse antiquam superstitionem, fateantur. In promptu enim est locus HORATII ⁴⁾.

Scit Genius, natale comes qui temperat astrum,

Naturae deus humanae, mortalis in unum

Quodque caput, vultu mutabilis, albus et ater.

Quis ater, quaeso te, hic genius est, nisi pravus et adversus is, qui ad mala patranda impellit homines et perniciose suppeditat iis consilia, eosque incau-

2) Inscripta: *Mysterium de Daemonibus s. Geniis atque intelligentiis philosophicum strictim et fideliter reuelatum*, Helmst. 1747.

3) De die natali libro c. III p. 10 edit. Lindenbrock. *Faciunt cum eo POMEY in Pantheo mythico p. 232, et NATAL. COMES Mythol. L. IV c. III p. 296.*

4) L. II epist. II v. 186 ff.

incantus in pericula praecipites agit, ex quibus vix rursus miselli eluctantur. Hunc vero errorem non est, cur valde miremur. Ex illa enim parte videbant, probos persaepe viros et optime de republica meritos omni calamitatum genere pertinacissime premi, ex altera vero, homines plerosque ita haud raro transversum rapi animadvertebant, ut, quae fugere maxime deberent vitia, in ea vel inviti trahantur sibi et civibus, maxime perniciosi existant. Facilis quidem, haec explicandi, fuisset ratio, at veteribus erat perobscura, qui neque divina providentia res cunctas sapientissime administrari intelligebant, neque, quanta sit humani ingenii depravatio et ad atrocissima facinora proclivitas, distincte perspiciebant. Tribuebant ergo malo cuiusque genio omne, quidquid adversi accideret, eumque maximorum criminum reum agebant, quorum omnem scilicet in semetipsos culpam conjicere debuissent. Immo vero terrere eos nocturnis visis miseris mortales et quietem illorum impudentissima malitia turbare, falso haud dubie, crimine insimulabantur. Ex hoc genere is erat, qui Bruto, PLUTARCHO teste, apparuit, monstrosa visu et horrenda forma Genius, quique ei, quoniam esset? rogatus respondit: ὁ σὸς, ὃ βροῦτε δαίμων κακός: Tuus sum, o Brute, malus Genius. Me videbis postea in Philippis. Cui vero Brutus animo nihil exterritus, videbo, inquit. Habemus hic, nisi egregie fallor, veros anilium illarum de spectris et lemurius fabularum natales. Mali sunt istae formae sui cuiusque Genii, qui, ut pessime nobis cupiunt, ita nil mirum est, vario nos miseris malorum genere exagitare ipsamque nobis nocturnam quietem invidere. Sed quid de gentibus, divinarum litterarum expertibus dico. Inter ipsos primae ecclesiae doctores fuerunt nonnulli, qui malum cuique homini a nativitate Genium adesse existimarent, quemque adeo *Exorcismi* ritu pellendum ab eo dicerent. At, albus est et festus, quem celebramus, dies. Nolumus ergo illius laetitiam infaustis de atro Genio fabulis turbare. Prodeat ergo iterum in conspectum vestrum, lectores, bonus iste Genius, festiva scilicet forma et blanda indutus facie.

Erat autem bonus hominisque, cui datus erat, amans Genius totus in eo, ut clientem suum in lucem editum sinu quasi suo foveret, et dum tennellus ac infirmus is esset, manibus quasi levaret suis, provideretque, ne quod corpus molle in ignara ista sui aetate vitium temere contraheret. Juvenem deinde factum et custode remoto, equis canibusque gaudentem curate observabat, ne per lusum aut petulantiam vel equo vectus, vel natans in aquis, in vitae sese periculum incautus effususque in gaudia, conjiceret. Ei, si veteres audimus, quidquid viri egregie perficimus, bona et salutaria patriae

A 3

5) BARNABAS *Epist.* c. XVIII. HERMES in *Pastore* L. II mand. VI. ORIGENES vero *passim* v. c. *πρὸς ἑβραῖους* L. III c. 2. TERTULLIANVS de *anima* c. XXXIX.

triae consilia, res magno animo gestas, prudentiam, ut verbo dicam, et omnem virtutem, qua noster est ornatus animus, acceptam referre debemus. Atque is quidem amicus, quo non est melior alter, datus est homini a deo, cui nimirum curae est cordique hominum salus. Is ille est, quem poeta⁶⁾ *μυσταγωγόν*, id est *sacrum ducem* et arcanum vocat, et quem M. ANTONINVS *ἐπιτροπον*, i. e. *Inspectorem*, qui custodiat unumquemque, appellat.

Est vero aliud adhuc et priori sanctius Genii munus. Homines videlicet, ut sumus, humili ortu et multorum vitiorum naevis turpissime commaculati, adire recta via deum non possunt, neque satis dignum est tantorum numinum majestate, sine internunciis cum misello homine agere. At vicissim, quum nihil sit in nobis ipsis opis et tamen sexcenta sint, quibus quotidie egeamus, misere nobis pereundum esset, nisi ea rerum omnium dominus liberaliter impertiret. Misertus igitur fortis nostrae Genius in caelum migrat, supplexque Deo factus, hinc calamitates nostras, illinc desideria exponit, neque prius deprecari desinit nostramque commendare probitatem, quam flectere divinam voluntatem, Numenque nobis conciliare, tam felici ipsi esse contigerit. Quo facto, multo jam, quam ante, laetior reverfus, divina de caelo auxilia adfert, ea vero, quae fieri a nobis postulat deus, exponit. Docuit me hoc PLATO in *convivio*. Facit enim in eo Socratem haec inter alia disserentem: *Omnis natura daemonum inter mortales deorum media est. Quam vim habet? Interpretatur, inquit, et trajicit humana ad deos, divina ad homines: horum quidem preces et sacrificia, illorum praecepta sacrosque ritus (τοῖς ἐπιτροπέσις τε καὶ ἀμειβοῦσι τῶν θεῶν) institutiones et ordinem. - - Deus quidem homini non miscetur, sed per id medium commercium omne atque colloquium inter deos hominesque conficitur et vigilantibus nobis et dormientibus⁷⁾.*

Quae dum statuebant de bono cuiusque Genio veteres, sane ingrattissimi fuissent, nisi tantum et tam constantem patronum singulari honore pietatis afficiendum putassent. Sed nihil est, quod de ingrato eos animo, potius contra, quod de superstitione accusemus. Singularem enim diem quovis anno Genio suo consecrabant, quo illum, memores praefistorum sibi beneficiorum, eximio et magnifico, ut cuiusque res familiaris ferebat, cultu placabant. Est de hac caerimonia in omnium manibus liber singularis CENSORINI, in quo, quod mireris, multa desunt, quae ab aliis copiosius sunt tradita et multo etiam curatius. Quare nos quidem hic longiori dispu-

6) Ἀκῆτι δαίμων ἀνδρὶ συμμυσταγωγὸς
 Ἐυδὸς γενόμενος, μυσταγωγὸς τῶν βίαι
 Ἀγαθῶν.

Menander ap. Cleric. in reliq. Milem. p. 160.

7) Copiosius haec explicat APVLEIVS de Deo Socratis.

disputatione supersedebimus et ea tantum, quae ab eo omissa, scitu tamen non injucunda sunt, summam attingemus, ituri scilicet ad majora ac sanctiora sacra. Induti ergo albam vestem⁸⁾, felicitatis castitatisque indicium, unctoque capite⁹⁾ ad divinam rem sese rite parabant. Quo facto, thura et odores incendebant, quo nihil eorum intermitterent, quae oblectationis ei aliquid adferrent ac deditam ipsi gratamque mentem significarent¹⁰⁾. Princeps tamen honoris pars in mactandis sacrificiis erat posita, quamquam oblatas esse laeto hoc die hostias negent, quod obiter monendum duxi, clarissimi duumviri CENSORINVS, ALEXANDER AB ALEXANDRO et plures post hos alii¹¹⁾, qui, nescio quo indicio, in hunc funit apertum, at levissimum tamen, errorem adducti. Immolabant ergo Genio de se optime, ut quidem opinabantur, merito agnum, aut quod frequentius factum legimus, porcum. Videlicet videtur agnus plus honoris habuisse et magnorum tantummodo virorum natali genio proprius, quem scilicet delicatioribus cibus pascere decebat. Cur ita sentiam, HORATIVVS facit. Quippe qui Maecenatis natalem celebraturus

Ridet argento domus : ara castis

Vincta verbenis, aet immolato

Spargier agno

scribit. Contra vero Lamiam porco bimestri natalem proprium, et quidem cum famulis, acturum sperat¹²⁾. Divinam rem excipiebat convivium lautum, festivum et hilare. Advocabantur amici: iudulgebatur genio, nec ulli parcebatur rei, quae ad effusam laetitiam pertineret.

Sed tribuebant veteres etiam aliis rebus suos tutelares genios¹³⁾. Eminebat inter hos et jure quidem suo, Genius urbis Romae, ex cujus securitate quum tot provinciarum et item gentium salus penderet, aequum erat omnino, ut sollemni et publica pietate Genius iste princeps in universo, quam late patebat, Romanorum imperio coleretur. Factum illud esse

XII Cal.

8) OVID. Trist. L. III cl. XIII v. 14. Scilicet expectas soliti tibi moris honorem, Pendeat ex humeris vestis vt alba meis.

9) TIBULL. III El. 6.

10) OVID. Trist. III El. XIII v. 16. Micaque sollemni thuris in igne sonet, conf. L. V El. V v. 14.

11) CENSOR. c. I. cap. II p. 6. ALEX. AB ALEX. Genial. diar. L. II c. 22 p. 225 ed. Coler. IOACHIM. HILDEBRAND de natalitiis veterum c. VI p. 25.

12) HOR. Carm. L. IV od. XI v. 6, L. III od. XVII v. 15.

13) Erutum nostra memoria est Genevae illustre antiquitatis monumentum, in quo FIRMIDIVS SEVERINVS miles Genio, loci dicat et consecrat aram v. Biblioth. German. Novv. T. XII p. 436.

XII Cal. Maji PLINIVS major et CICERO testes sunt ¹⁴⁾. Servavit hunc ritum deinceps CONSTANTINVS M. Celebrari enim Constantinopoleos natalem lege iussit.

Sed parum haec omnis disputatio utilitatis esset habitura, nisi majus quoddam, quam quidem veterem superstitionem et inanes caerimonias ex illa cognosceremus. Videamus igitur potius, quid ex his, quae strictim proposuimus, colligi clare possit. *Primum* igitur hoc velim mihi largiantur lectores, ipsas gentes, caelesti luce privatas, perspexisse, nihil agi rerum humanarum sine divino numine feliciter posse. *Alterum*, curare DEVM homines, et singulos quidem, et iisdem prospicere optime. *Tertium*, inprimis vero illum urbes et res publicas administrare, illisque consulere. *Quartum* denique, nostrum esse, certis diebus tanta haec illius munera grata mente recolere atque hoc pietatis officio nova in nos et in omnem rem publicam beneficia derivare. Quae vero ne temere asseruisse videar, age, CICERONEM jam, praeclare praecipientem audiamus ¹⁵⁾. *Nec vero, inquit, universo generi hominum solum, sed etiam singulis a diis immortalibus consuli et provideri solet. - - Diligunt Romam, Athenas, Spartam, Rhodum: et earum urbium separatim ab universis singulos diligunt, ut Pyrrhi bello Curium, Fabricium - - multosque singulares viros, quorum neminem, nisi iuvante Deo, talem fuisse credendum est. Quae ratio poetas, maximeque Homerum impulit, ut principibus heroum, Ulyssi, Diomedii, Agamemnoni, Achilli certos deos, discriminum et periculorum comites adjungeret.*

Quare missis jam, quae ad veterum dierum natalium superstitionem pertinebant, id ibimus demonstratum, singulari prorsus ratione DEVM scholis praeesse atque consulere, eximioque igitur pietatis cultu natali earum die nobis esse colendum. Quod ut efficiam, non multi quidem laboris, at magnae tamen utilitatis rem fore censeo. Admonere enim potest nos, qui juventuti bonis artibus et moribus perpoliendae praefecti sumus, officii nostri, quod dum omni, qua fieri potest, fide exsequimur, tum vero futurum est, ut maximae in omnem vitae statum commoditates ex publicis scholis deriverentur. Quid enim aliud est ludus literarius, quam eruditorum hominum et proborum societas, qui conjunctis studiis in eam unice incumbere

¹⁴⁾ PLIN. H. N. L. XIV c. 4. CIC. Or. pro Flacco c. 4. PROPERT. L. IV EL. 4.

Urbi festus erat. Dixere *Palilia* patres:

Hic primus coepit moenibus esse dies.

Exhibentur imagines publicorum Geniorum a IO. VAILLANT in *Numerismatis Imperatorum, Augustarum et Caesarum*, Amstelæd. 1700. p. 17. 57. 123. 127. et in *Antiquitate explicatione et schematibus explanata*, quae Norimbergae in lucem prodit c. V p. 72 *Tab. XXXVIII.*

¹⁵⁾ CICERO L. II de Nat. deor. c. LXVI p. 1234.

bere curam debent, ut juvenilem aetatem cum optimam litterarum scientia instruant, tum vero pietate et omnis generis virtutibus egregie exornent. Quae, si est vera scholarum ratio, nemo sapiens dubitabit, quin DEVS O. M. singularem illarum habeat rationem: si quidem ea omnia curat, quae ad gloriam ipsius pertinent, quaeque efficiunt, ut pietate non minus, quam felicitate homines crescant. At vero, quid magis efficit, ut recte et magnifice de Numine supremo sentiamus, quam quidem bonae litterae? Hae rerum nos multarum cognitione imbuunt, quarum cum magna sit et utilitas et pulcritudo, tum vero necesse est, ut auctorem illarum tamquam absolutam numeris omnibus et perfectam naturam pie veneremur, a qua quaecumque sunt, effecta esse praepotenti consilio, intelligimus. Hae mentis torporem pellunt, ut primum beneficae illius et jucundae lucis, qua fulgent, aliquid perfensimus, accenduntque animum, ut rerum, quae in hoc orbis spectaculo cernuntur, causas et internas rationes exquirat et finem inprimis earum perseruetur, ob quem quaeque primum sit facta. Haec vero omnia dum cognoscimus, summae cum sapientiae, tum bonitatis ideam animo informamus, ex qua non potest non oriri magna quaedam et efficax in tanti operis fabricatorem pietas. Acciunt vero inprimis ingenium scientiae, eique eam perspicacitatem conciliant sensum, ut non modo res occultas aliis, feliciter subtiliterque perspiciat, verum etiam eleganter et aperte eas explicet. Iam vero hoc ipsum, quod excellentissimum omnium de DEO ejusque operibus locus distincte et decore tractatur, permultum facit ad laudes divinitatis amplificandas. Sed sunt tamen adhuc alia. Saepe enim mirari mecum soleo, qui fiat, ut, cum virtutes et perfectiones divini Numinis orationis quasi coloribus describere volumus, tum solis fulgentissimam lucem, pratorum viriditatem, litorum vestitus, aquarum pellucidos liquores, avium volatus, bestiarum cum magnitudinem, tum celeritatem, agrorumque et qua flores, et qua fruges incredibilem varietatem pingere consuevimus. Sapienter hoc et jucunde a permultis factum est. At, cur non miram quoque ingenii illius, quae haec omnia cernit et pingit, aciem et ubertatem describamus, plane non video. Quod si enim, quod recte Philosophi docent, ex effectu de causae natura rite verissimeque judicetur, necesse est, ut infinitam DEO scientiam et potentiam tribuamus, qui tantam ingenio humano sagacitatem tribuit et tot tantasque artes fuit largitus, quibus dici non potest, quam varie et mirabiliter hominum vita exornetur. Iam, ubi haec accipiunt ornamenta mentes nostrae, nisi in scholis? Habet quidem satis jam nativae dignitatis humanus animus: at expolitione tamen, haud secus atque aurum et gemmae, suum demum splendorem et lucem accipit. Quae ut satis iam in se perspicua sunt, ita sole meridiano clariora fiunt, quod si agrestem hominem cum exulto egregie bonis litteris puero contendamus. Sed fingamus

Docet

B

nobis

nobis aliquam tantum provinciam, qualem Tartarorum esse scimus, in qua nullae profus humanitatis litterae florent. At, quid fictione opus est, ubi rem ipsam ostendit historia. Ponamus ergo potius nobis ob oculos miseram illorum temporum faciem, quibus christianum orbem omnes paene litterae, a Barbaris fugatae, deseruerunt, quod a Saeculo post CHRISTVM natum quinto inter Latinos accidit. Qui ingeniorum hinc torpor, illinc levissimarum perniciosissimarumque fabularum et superstitionum proventus, quarum magna pars ad nostram usque memoriam amplissimum illum coetum deformat, qui Romano Pontifici parere mavult, quam protractae iterum in lucem a monacho, caelesti veritati oculos aperire. Tritum fatis est communi omnium proverbio, quod didicisse fideliter artes mores emolliat, nec sinat esse feros. At tamen nulli magis probant, verissime hoc dici, quam illae omnes gentes, quae humanarum aequae ac divinarum litterarum sunt expertes. De Normannorum olim crudelitate totus Latinorum orbis est conquestus. Patrum vero nostrorum memoria nemo erat exterarum rerum adeo rudis, ut non aliqua de Turcorum saevitia et immanitate exempla nar-raverit. His vero quis ignorat, quam exosa sint humanitatis studia, et quam omnes libri prae Corani fabulis fordeant.

Quae dum cogito, plane non capio, quae qualesve visae fuerint elegantiores litterae clarissimo ROUSSEAU, quod morum illas quasi quasdam corruptrices publice in nescio, quod crimen adduxerit. Hoc ipsi facile cordatus quisque largietur mecum, non eorum, sed hominum culpa averfos multos a vera castaque pietate fuisse, qui veterum Graecorum et Romanorum lectioni ita dediti fuerunt, ARISTOTELEM vero atque PLATONEM tam perditae amarunt, ut sacras litteras profus neglexerint, in quibus solis ad purgandam mentem nostram fatis inest virium. Ex horum autem numero ii fuerunt, qui ante restituta a LUTHERO, dilecto DEO doctore, sacra inter Italos in Atheismi suspicionem incurrerunt, aut qui cum BEMBO aliquo adeo Romani et antiqui moris studiosi fuerunt, ut despiciati ducere ipsam illum divinitus dictatum librum nihil vererentur. Ex qua insaniam dicam an audacia? non potuit non summa morum fluere depravatio, quae virus instar primum discipulos, deinde vero alios permultos aetatis illius homines infecit. Sed si ab homine pio et vere christiano elegantiores litterae tractantur, tum vero tantum abest, ut mali quid bonis moribus ab iis metuendum sit, ut potius hominem, si ita fas est dicere, humaniorem reddant, multaque nobis ad explicandas divinorum librorum partes subsidia subministrant. Quare nullus dubito, id, quod principio dixi, adfirmare, plurimum facere humanitatis litteras ad amplificandam divini Numinis gloriam, atque adeo DEVM O. M. singulari eas cura tueri.

Doceri

Doceri idem aliis adhuc testimoniis posset. Sed unum tantum eorum adduxisse juvabit. Felicitate generis humani DEVM mirifice delectari, nemo adeo est excors, ut negare audeat. Quodsi enim nos non intensissime amaret DEVS, quae cogitari quaeſo ratio posset, quare nos ex loto tam affabre nulla externa causa coactus, finxerit: quod non modo spectatores tantarum rerum, sed quod longe maximum est, ipsos dominos esse vulerit: quod denique ipsum filium, quem solum carissimum habet, pro nostra salute dirisissimis suppliciis tradiderit. Atqui vero nemo ignorat, felicitatem tanto majorem esse, quo pluribus fruamur bonis aut perfectionibus firmis ornati. Quid autem melius ad hoc facit, quam bonae litterae? Hae nimirum ut acunt ingenium nostrum, ita etiam magnam istam artium multarum et opificiorum copiam, ceu fertilissimum quidam et amoenissimus ager, protulerunt. Exempla, quibus haec a me doceantur clarius, in promptu sunt. Quodsi enim plerasque earum artium, quibus maximam aetatis nostrae felicitatem debemus, consideramus, earumque historiam percurramus, tum sane inueniemus, eas fere singulas superiori saeculo fuisse natas, saltim ad illud, in quo jam conspiciuntur, perfectionis fastigium evectas. Iam vero nemo adeo in temporum monumentis est hospes, ut nesciat, nunquam laetioire fortuna humanitatis et omnis generis litteras fuisse gavifas, quam centum ante annis aut circiter. Scilicet translata sunt a Francis ad nos haec studia, et quae LUDOVICVS XIV in suae gentis commoda de bonarum litterarum felicitate sapienter constituit, haec nos, aemuli Francorum, bono nostro imitati sumus. Quae dum legent lectores, nolim ita interpretentur, ac si nobis in umbris nostris tantum sumeremus, ut scholastica studia cum majoribus istis, quae ad Academias proprie pertinent, contendere auderem. Dabunt vero hoc, nisi praeparantur a nobis juvenum animi, non facile sperandum esse, ut majora illa capiant, aut egregiam in istis umquam operam ponant. Caecus vero sit et rerum omnium imprudens, qui neget, novis hisce studiis incredibilem in omnem rempublicam utilitatem fuisse derivatam. Haec vero num casu quodam universae propemodum Europae contigit felicitas? Scilicet. Sperabimus ergo, ut lapides aliquando omnes in aurum mutentur. A DEO profecta sunt haec tanta munera, qui nos amat, quique ita felicitati nostrae studet, ut fieri aut cogitari supra nihil queat. Utinam vero nihil vitio nostro accideret, quod hanc felicitatem minueret efficeretque, ut boni viri dubitaverint, boni ne plus an mali litterarum studia nobis attulerint! Sed quod hominum malignitate evenit, id caute a divinis consiliis ac beneficiis fecernamus.

Causas explicavi, quare credendum sit, DEVM nunquam adeo bonas litteras esse deferturum, ut extinguantur prorsus in humano genere. Sequitur, ut ipso facto id jam demonstramus, quod rationibus evictum mox dedimus, iisque cum ex liberalium artium, tum vero ex ipsa divina natura defuntis. Quodsi igitur antiquissimorum temporum historiam mente repetamus, atque inde usque ad nostram aetatem revertamur, tum sane nullum tempus adeo infelix et atrum reperiemus, quod litterarum luce plane non fuisset illustratum. Quamquam enim maximis sint involuta tenebris ea fere omnia, quaecunque ancipiti fide a DIODORO, STRABONE, HERODOTO atque aliis de sapientia veterum Chaldaeorum, Persarum, Indorum, Arabum, Phoenicum, Aegyptiorum, Celtarum aliarumque gentium, quae rebus gestis et potentiae magnitudine nominis famam consequutae sunt, traduntur: hoc tamen, nisi egregie fallor, certo satis angurio ex istis narrationibus colligitur, mature homines rerum, quae in oculis incurrunt, ut siderum et item aliarum, cognoscendarum studio flagrasse. Ex quarum scientia quum multum capere cum utilitatis, tum etiam delectationis, adde etiam existimationis et honoris sibi peperisse visi sunt, tum ad alia etiam sunt incitati, quae ad animi facultates perpoliendas limandasque magis pertinere censentur. Sint ergo fabulae, sint commenta pleraque, quae de ZOROASTRE, de Persarum Magis, aut Indorum Brachmanibus, aut de aliis viris tam magnifice narrantur, ego saltim quaeram, si nulla omnino fuisset horum populorum prudentia, unde Graeci tantam mox acceperint sapientiam? Etenim nemo ignorat, HOMERVM, antiquissimum, certe principem eorum poetam, omnium scientiarum semina in carminibus suis sparsisse, creditum olim permultis fuisse. An vero is ita esset elegans et copiosus, ut omnium temporum poetis artis fuerit optimus magister, nisi multarum rerum doctrina ingenium instruxisset, illaque, in qua floruit, aetas omnis generis scientiis exornata fuisset? Num vero unius id aut saeculi aut populi est, scientias fere singulas et primum invenire et ad eum perfectionis perducere gradum, in quo inter Graecos constitutae fuerunt? Efficitur ex his, quod volo, humanum genus mature bonis litteris excoli coepisse. Unde vero hoc? Ab egregia nonnullorum indole et facto ad res magnas animo, tum vero gloriae stimulis mirifice incitato. Bene doces. Atqui vero haec non nisi ab eo, qui finxit homines, effici poterunt aut mortalium animis tam alte infigi, ut omnes superarent molestias atque difficultates, quae eis sese obijciunt, qui viam in ignota incultaque terra fortissimo ausu sibi quaerunt.

Sed

Sed sunt alia certiora, ex quibus facile, si opus esset, demonstrari posset, DEVM nunquam permisisse, ut penitus extirparentur rerum utilissimarum scientiae. Adducemus unum tantum alterumque rei evidens indicium. Ita, ut hoc utar, extremam haud dubie perniciem litterarum studiis Barbarorum in Italia, quae sedes erat earum, incurSIONES attulissent, nisi is, qui optime humanis rebus consulit, praepotens Dominus conservari eas curasset in monachorum claustris. Ut enim feroces istae gentes omnem in bellica virtute gloriam ponerent, nihilque omnino de doctrinae elegantia et suavitate perciperent: eadem tamen publicam religionem custodiendam sibi putabant, securitatemque sacris DEO personis concedendam, superstitione magis et metu, quam pietate, quae in tam feris hominibus nulla esse intelligitur, impulsu existimabant. Magnum profecto divinae providentiae beneficium! Quodsi enim haec eruditionis asyla, monasteria intelligo, servata non fuissent, certissimum est, nullum Romanorum scriptorem nos nunc habituros esse, non Cicero-nes, non Livios, non Tacitos, non Virgilios, non Horatios: immo vero nec de christianis scriptoribus eos, in quibus cum historia, tum doctrina coetuum sacrorum in orbe Latino explicantur. Illis vero si carendum esset, vereor, ne omnis, qua Europa hodie fulget, elegantior doctrina tantum inchoata sit futura et rudis. Pessime vero nobiscum et cum bonis litteris actum fuisset, si illarum fortunam esseratarum gentium arbitrio reliquisset DEVS, et non potius ipse pro earum salute excubias egisset. Hoc vero, quodnam evidentius divinae in conservandis bonis litteris curae testimonium adferri potest, quam quod illae, dum prostratae in Romano orbe jacerent, ad summum honoris fastigium evectae sint inter Arabes. Nulla enim unquam aetas immortalia beneficia silebit, quibus eas ALMAMON, exstructis Bagdadi, Cusae aliisque in locis splendidissimis domiciliis cumulavit et auxit. Nisi enim egregius hic Princeps Graecorum, et his antiquiorum gentium scripta in collectis a se magnis sumptibus, Bibliothecis et scholis servasset, vertique Arabice jussisset, pauci eorum ad nos pervenissent ¹⁶⁾. CAROLI vero M. merita in bonas litteras quis profus ignorat. Iacebant tum, cum immortalium hic laudum Princeps rerum summa potiretur, torpore sepulta non Germanorum modo, verum etiam Francorum ingenia et diuturna desidia maxima contraxerant vitia. Nullae audiebantur Musarum voces, contra narratiunculae futiles de nescio, quibus prodigiis omnia perstrepebant, ut vel sic, quod vita et lauto otio dignum esset, agere viderentur

B 3

Monachi,

16) V. I. G. LAKEMACHERI Diss. de *Fatis studiorum apud Arabes*, Helmst. 1719.

Monachi, quibus lege hortorum et ingeniorum cultura imposita est. At expectatione citius excitavit ex dulci hac quiete vox et exemplum Principis, quotquot non plane stipites erant, excitatos vero maximis prae-
miis, et ecclesiasticis inprimis beneficiis ad doctrinae gloriam consecran-
dam et eximia quaeque tentanda invitavit, omnes vero, quos litteris va-
care iusserat, omni subsidiorum genere incredibili liberalitate adjuvit.
Non enim modo magnis sumtibus celeberrimos ex Italia, et Magnae Bri-
tanniae provinciis viros accivit, verum etiam exquisitissimorum in omni
doctrinae parte librorum copiam colligendam curavit. Inprimis vero pa-
triae instituendis scholis cum minoribus, tum maioribus optime providit
rerum bellicarum et civilium gloriose gestarum laude immortalis Prin-
ceps. Adjungi enim singulis fere cathedralibus et item aliis lautius dota-
tis templis eas voluit, quo et Episcopi atque Abbates summa illis cum
auctoritate praeessent, doctoresque pariter atque discipulos sapienter di-
rigerent, et ipsa sacri loci vicinitas certa ipsis praesidia et alias commo-
ditates praestaret. Eminebat inter hasce scholas illa, quae in Principis
aula florebat, *Palatina*, quaeque sola, quanto opere Heros hic honori
ludorum litterariorum studuerit, illustri est indicio 17).

Sed non sine invidia quadam, certe non sine aequiore dolore isto-
rum temporum felicitatem praedicaremus, nisi et nostris indulgisset DEVS
clementissime CAROLUS, qui dum nulla alia laude Magno isto infe-
riores esse volunt, tum vero ornandis bonis litteris si minus superare,
at aequare certe annuntur. Parva est et exigua provincia Germania, si
cum universo, qua patet, terrarum orbe contendatur. Eadem tamen
tam benefica et fida ingenuarum artium nutrix, ut plures alat eruditos
et excellentes in omni scientiarum genere viros, quam reliquae omnes
globi hujus inferioris partes. Percurramus tantum cogitatione felicissi-
mas istas provincias, quibus FRIDERICVS, magnus, sapiens, invictus
et felix Heros, quasi quidam Genius tutelarior indulgentissime a DEO est
datus. Quot non eruditionis bonaque mentis domicilia in amplissimo
hoc regno quotidie aperiuntur, ex quibus tamquam ex Trojano equo,
identidem prodeunt exulti litteris et pietate juvenes? Ut adeo vere dici
queat, hanc unam provinciam totius Germaniae et Borealium populor-
um esse officinam. Quid de hac sigillatim optima civitate dicam, cujus
me civem nimirum esse, et exoptavi jam saepe et factus divina, quae a
teneris res meas optime curavit, providentia, impensus et jure meo
lactor. Quid? nisi hoc, quod de Athenarum urbe MARCO filio
olim

17) Testimoniis id docui in notis ad Ill. MOSHEMII Orat. de rebus academ.
p. 586 seq.

olim scripsit TULLIVS: scientia augent doctores juvenes, urbs vero pietatis in DEVM morisque recti exemplis.

Iam vero hoc, quod Gymnasium nostrum hodie nonum et octogesium suum natalem celebrat, nonne singulari prorsus praepotentis rerum omnium moderatoris DEI providentiae tribuemus? Quis enim in almae Germaniae, patriae communis historia adeo est peregrinus, ut calamitates illas, quibus cum saepe, tum vero maxime flagrante *tricennali*, quod vocatur, exitiali bello, respublica afflicta misere et perturbata est, ignoret. Aut quis adeo excors, ut, dum sumtuum magnitudinem, quibus haec animorum officina conservatur, expendat aequa lance, non sponte sua fateatur, supremo numini haec et alia instituta curae esse cordique debere, eaque facta rectaque ab eo fervari. Immo vero DEVS est, qui salutaria reipublicae tutoribus consilia suppeditat et curandarum inprimis scholarum sollicitudines suadet, ut in tanta negotiorum et mole et varietate de nobis et adolescentulis nostris tam benigne et liberaliter cogitent, nihilque eorum intermittant, quaecumque nos excitare ad praeclara quaevis, et ex ista animorum contentione recreare queant.

Dixissem de aliis adhuc juvandarum litterarum commodis, quae non nisi, cum magna sint, a DEO, omnis boni auctore proficisci poterunt. Sed in angusto hoc stadio ad latera circumspectans, ad calcem me jam decurrisse animadvertēbam. At vero, quid egregii aut novi dixisset homo, in eruditissima civitate nondum sibi, nondum tranquillitati redditus novique muneris curis eximie distractus? Satis ergo officio meo fecero, si Gymnasii nostri interpres, primum DEO O. M. deinde etiam munificentissimis nostris et Illustribus Amplissimisque Patronis grates, quas possumus, maximas pro constanti in nos benignitate persolvero, et eum supremi NVMINIS, tum illorum curae nos omnes, quodque unum omnium, ut de patria dixit CICERO, caritates complectitur, Gymnasium enixius commendavero. Faxit DEVS, bonarum artium optimus Stator atque Tutor, in quo scilicet nos majori fiducia, quam veteres in Genio suo, acquiescimus, ut dies omnes sint Gymnasio *geniales*, id est laetissimi et felicissimi, et ut TIMOLEONTEM accepimus, Syracusanum Principem, praecipuas victorias natali suo die civibus dedisse; sic nihil optabilius nobis accidere posset, quam si singulis diebus de erroribus et vitiis, quibus juvenes vexantur, superiores discederemus. Dona dabant veteres natalem suum diem celebranti: Nos vero meminerimus, meliora et gratiora Gymnasio dari non posse, quam optimarum artium et sinceræ pietatis studia, quibus illud scilicet augetur maxime et exornatur.

At, tu Natalis, multos celebrande per annos

Candidior semper candidiorque veni. TIBVLL.

Lae-

Laetio rem vero et plenior em hujus diei festivitatem efficiunt Musarum Patroni, a nobis obnixissime rogati, quodsi cras, DEO bene volente, ab hora II pomeridiana, in auditorio majori dicturos juvenes honorifica sua praesentia ad majora excitare haud gravabuntur. Scilicet

CHRISTIAN LEBERECHE KLUGE, Lecopetr. *Medicos bonas litteras ab interitu vindicantes*, latine laudabit.

FRIEDER. AVGVST. SCHNEIDER, Eimbecc. *Summos Imperantes singulari DEI providentia servatos*, orat. lat. commemorabit.

OTTO HENR. FRIZE, Halenf. vernacula *Laborem committionibus commendabit*.

Denique, Socratis et amicorum illius de *animi immortalitate* disputacionem in carcere habitam, quantum quisque poterit, imitabuntur.

OTTO HENR. LVDOV. S. R. I. Comes a SOLMS et TECKLENBURG,

IO. CHRISTIAN. LICHOTIVS, Halenf.

IO. GODEFR. ALBINVS, Halenf.

PHILIPP. IMMAN. LIMMER, Halenf.

Quibus audiendis ut vacare benevole *FAVTORES NOSTRI* velint, tanta contentione rogamus, quanta illi, qui maximum sibi beneficium tribui cupiunt.

P. P. A. D. XXVII AVGVSTI A. O. R. S. dō Bccliv.



Jf 3373


ULB Halle 3
002 188 97X




Sb.

V. 17 Ant.







SINGVLARIS
DEI CIRCA SCHOLAS
PROVIDENTIA

EX VETERVM GENIO NATALI

ASSERITVR

ET

NATALIS DIES
GYMNASII HALENSIS

C LXXXVIII.

A. D. XXVIII AVGVSTI d**b**cccliv


CELEBRANDVS

INDICITVR

A

IOANNE PETRO MILLERO A. M.,

GYMNASII RECTORE.



HALAE MAGDEBVRGICAE
FORMIS EXSCRIPSIT IOANN. IVSTINVS GEBAYER.